

*158. Instrumentum testamenti
di Mazziotta de Ayvena di
Potenza, detto Paulello*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*158. Instrumentum testamenti
di Mazziotta de Ayvena di
Potenza, detto Paulello*

1458-05-12

(c. 273v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno nativitatis ipsius millesimo quatricentesimo quinquagesimo ottavo, regnante serenissimo et illustrissimo domino Alfonso Dei gratia Aragonum, Sicilie citra et ultra farum rege, Valentie, Ungarie, Hierusalem, Mayorice , Sardinie et Corsice , comite Marchione <sic> , duce Athenarum et Neopatrie ac etiam comite Russilionis et Ceritanie, regnorum vero eius regni citra farum anno vicesimo quarto feliciter amen, die duodecimo mensis maii, sexte inditionis, apud civitatem Potentie, provincie Basilicate.

Nos Valentinus de Populo de Potentia ipsiusque civitatis annalis et litteratus iudex pro predicto anno presenti ditte sexte inditionis, Iacobus de Bono Ioanne de ditta civitate Potentie, publicus ubilibet per totum regnum Sicilie regia autoritate notarius et testes subscripti, viri quidem litterati et inlitterari ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico testamenti instrumento fatemur, notumfacimus atque testamur quod nobis predittis iudice, notario et testibus subscriptis adcessitis <sic> ad domum Maziotte de Ayvene ditti Paulelli de ditta civitate, sitam et positam intus civitatem iam dittam in parrochia ecclesie Sante Trinitatis, confinatum suis finibus etc. Et in camera ipsius domus invenimus dittum Maziottum vel Paulellum de Ayvena egrotum in letto iacentem de infirmitate glandularum, sanum // (c. 274r) tamen mente, bone memorie et rette locutionis existentem et dum exemus ibidem in ipsius presentia ipse Paulellus, considerans conditionem nature humane et timens repentine viventis eventum qua <sic> nil certius morte et nil incertius hora eius et cupiens de salute anime sue salubriter providere, in

nostrum qui supra iudicis, notarii et testium ad hoc per eum specialiter vocatorum et rogatorum ac existentium coram eo et <in> eius presentia, de rebus et bonis suis omnibus presens suum ultimum nuncupativum condidit testamentum ac eius ultimam voluntatem, ordinationem et dispensationem fecit in modum infrascriptum, cassatis primitus, irritatis et annullatis per eum omnibus et singulis aliis suis testamentis, codicillis et ultimis eius voluntatibus quibuslibet aliis per eum utriusque fattis et conditis seu fieri missis <per> manus quarumcumque personarum, sub quacumque forma et tenore et verborum expressione; et voluit, statuit et mandavit testator ipse expresse quod presens testamentum suum nuncupativum sit ultimum et finale, ordinatione et dispositione sui animi, et quod valeat et teneat perpetuo iure testamenti et si iure testamenti forsitan non valeret, valeat et teneat saltem iure codicillorum, iuxta legati, epistole donationis causa mortis // (c. 274v) et omni alio iure, via, modo sue ultime voluntatis quo vel quibus melius aptius de iure valere et retinere potest et debet omnibusque aliis suis testamentis prevaleat et executioni debite reali <sic> demandetur per executores suos infrascriptos, omni cessante Falsidia Tribellianica et alio quocumque iure sive contradictione et prohibitione heredis sui. In primis quidem testator ipse, quia principium et fundamentum omnium testamentorum est heredis institutio, idcirco testator ipse heredem sibi instituit atque fecit Valle de Aivene fratrem suum et pro dicta hereditate legavit vineam unam sitam et positam in tenimento ditte civitatis Potentie in contrata ubi dicitur la Cerza de Corgiante, cum suis finibus circumdatam et tumbulum unum frumenti sati et tumbulos ordeï quatuor sati que est subtus ubi dicitur la Serra de lo Alao, pro

hereditate preditta quod plus petere non possit super bonis suis mobilibus et stabilibus et quod sibi teneat per contentum, quod ditto Velle presente et acceptante et minime discrepante de ditta hereditate; item legavit corpus suum sepelli intus ecclesiam Sante Trinitatis de Potentia, ubi positus fuit corpus patris sui et pro canonica sepultura legavit tarenos decem; item legavit in die obitus sui tam in mane quam in sero pro cera de variis missis // (c. 275r) celebrandis et omnibus necessariis in dittis obsequiis sint ad arbitrium suorum epitroporum; item legavit ditte ecclesie Sante Trinitatis pro flaudatione decime tarenum unum; item legavit pro malis oblati incertis tarenum unum; item legavit donno Angelo Grippo archipresbitero ditte ecclesie Sante Trinitatis, patruo suo spirituali, pro fatigiis suis, tarenum unum; item legavit ditte ecclesie Sante Trinitatis terras suas sitas et positas in tenimento ditte civitatis Potentie, ubi dicitur la Serra de lo Lelao, quod dicitur la Fontana de Domenedio, confinatas cum terris ditte ecclesie Sante Trinitatis, videlicet tertiam partem, et aliis confinis, pro eventu illorum in dittis obsequiis et quod plus valoris sint libere ditte ecclesie Sante Trinitatis; item legavit ecclesie Santi Girardi tertiam aliam partem dittarum terrarum suarum sitarum et positarum in tenimento supraditto, confinatarum iuxta terras ditte ecclesie Santi Girardi et quod plus valoris sint libere ditte ecclesie Santi Girardi, quod ditti presbiteri ditte ecclesie Santi Girardi veniant in obsequiis suis pro dittis terris; item legavit ecclesie Santi Francisci de Potentia aliam tertiam partem dittarum terrarum suarum sitas et positas <sic> in supraditto tenimento, confinatas <sic> etc. et quod fratres Minores veniant in obsequiis suis // (c. 275v) et pro eventu illorum habeant dittam tertiam partem dittarum

terrarum et quod plus valoris sint libere ditte ecclesie
 Santi Francisci; item legavit misse Santi Gregorii trentale
 unum pro anima sua et quod sint celebrate ad ecclesiam
 Sante Trinitatis per presbiteros ditte ecclesie et fratres
 Minores et pro dittis missis legavit tarenos undecim et
 granos novem; item legavit ditte ecclesie Sante Trinitatis
 iarram unam et iupparellum unum de velluto rubeo quod
 faciant pannum unum de altare cappelle Nuntiate ubi
 ponitur corpus suum; item legavit ditte ecclesie Sante
 Trinitatis tassam unam de argento et quod presbiteri
 ditte ecclesie teneantur facere de cera laborata, in
 obsequiis suis, librarum triginta et plus valoris ditte tasse
 ditti presbiteri tenentur celebrare misse pro anima sua;
 item legavit Brigante pro amore sanguinitatis panteram
 unam de ordeo et de frumento sato tu(m)mulorum
 quatuor, que sunt ubi dicitur li Graminasi; item legavit
 Dominice de Rusulillo, uxori sue, omnes pannos,
 heres, ferrum, unciam unam pro dotibus que recepit in
 tempore contratti matrimonii ab eisdem Dominica <sic>,
 secundum invenit dittos pannos, heres et ferrum; item
 legavit ditte Dominice sue uxori, pro dodario, uncias
 quinque de carlenis argenti t(an)t(u)m et quod habeat
 super domum suam et quod ditta domus // (c. 276r)
 vendatur et si ditta Dominica voluisset dittam domum
 pro illo pretio quod invenitur habeant <sic> ditta domo et
 quod solvat plus illo pretio ditta Dominica; item legavit
 ditte Dominice sue uxori corrigiam unam de argento
 neapolitanam, gunnellam unam muliebrem pagni coloris
 verdi, secundum invenitur, et mantellum unum muliebre
 panni coloris rubei, pro amore et bono servitio; item
 legavit Antonello de Orfina, pro bono servitio, tarenum
 unum; ditto Zaccagnino mantellum unum, iupparellum
 unum nivrum et parum unum de calzis; item legavit Petro

Catalano pro bono servitio iumentum unum, mantellum unum, iupparellum unum, parum unum de calzis de colore / item legavit pro caritate de pane tumulorum otto; item legavit supraditti Antonelli et Petri Catalani quod sunt mantenuti et notricati de bonis suis si manent in domo sua; item legavit dittis <sic> Dominice uxori sue sproverium unum magnum novum pro bono servitio; item legavit ditte <sic> Briganti scrineum unum magnum alium usitatum pro bono servitio et amore; item legavit ditto Velle fratri suo scrineum unum alium usitatum pro amore et bono servitio; item legavit ditto Petro Catalano, pro bono servitio, balestram unam de azaio; item legavit quod vendantur duos boves et tassam unam aliam de argento et faciant obsequiis suis et solvant testamento et super ditta pecunie <sic> // (c. 276v) venditionis facere debeant celebrare missas pro anima sua; item voluit et legavit quod, soluto testamento, omnia superflua de bonis suis, mobilibus et stabilibus et quod positis, sint pro reparatione campanarii ecclesie Sante Trinitatis; item instituit, creavit et ordinavit et esse voluit presentis sui testamenti et ultime sue voluptatis epitropos, exequutores et distributores ac sibi commissarios Velle de Arvene fratri sui <et> Briganti, quibus dedit liberam et omnimodam potestatem, auctoritatem intrandi, apprehendendi, vendendi, dandi et disbrigandi tantum de bonis suis donec predittum testamentum et contemplatum in eo plenarie et sine diminutione aliqua exequatur et debite exequutioni mandetur absque contrarietate heredis sui vel cuiuscumque alterius p[erso]ne; item legavit Caterine (de Ayvena) sorori sue, pro amore sanguinitatis, tarenum unum; item legavit Velle supraditto vegetes duas tenendum vinum, pro amore sanguinitatis; item legavit ditte Dominice uxori

sue carratellum unum salcetanum, pro bono servitio; item legavit hospitali Santi Beneditti, si facient, parum unum lenteaminum et copertam unam et, si non faciant, ditta linteamina et copertam sint alio hospitali ubi melius visum fuerit per suorum epitroporum <sic>; item legavit fratarie Sante Marie de Angelis, quod veniant confratres cum habitis ad obsequiis suis et pro eventu illorum legavit tarenos duos; item legavit ditto // (c. 277r) Velle fratri suo omnes heres suas pro amore; item legavit ditte Dominice uxori sue pro bono servitio omnes piltros suos; item legavit mantellum unum panni coloris rubei Luce, nepoti sui, pro amore; item legavit Pascarelle uxori ditti Velle, pro amore, tantum pannum coloris rubei quod sufficiat facere parum unum de calzis; item legavit ditto Petro Catalano pro bono servitio gonnellam unam panni coloris rubei; item legavit ditto Antonello de Erfina pro bono servitio farneam unam panni coloris blancette et rubei; item legavit Antonelle de Prisifo, pro amore et bono servitio, de frumento taliolas tres, petiam unam casei et pezuum unum carnibus salatis. Et voluit dittus testator quod si aliqua iurisditio clausula vel sollempnitas in ditto instrumento testamenti deficerent possint emendari, refici, corrigi quotiens opus fuerit ad consilium sapientis, veritatis substantia non mutata. Unde ad futuram memoriam, quorum et cuius interest et poterit esse cautelam et prefati testatoris preces fattum est presens testamenti instrumentum per manus mei preditti notarii, signo meo solito signatum et subscriptionibus mei qui supra iudicis et nostrorum predittorum testium subscriptionibus roboratum.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

*Così S perCosì S qui, in seguito e in docc. coevi Ayvena,
Arvena*

Così S per essemus

Così S per mortis

Così S per hucusque

Così S per iure

Così S per Falcidia

Si ipotizza una omissione in S, non risarcibile

Corretto da altre fonti

Così S per? cum

Così S per defraudatione

Così S per patrino

*Così S per?Dominico, ovvero probabile attore citato in
precedenza in corrispondenza di parti omesse*

Così S per? nigrum

Omissione in S

10

15

16

17

18

19

20

Quod scripsi ego prefatus Iacobus publicus ut supra
notarius qui premissis omnibus tamquam vocatus et
rogatus interfui ipsumque meo solito et consueto signo
signavi. (SN) Ego Valentinus de Populo qui supra
annalis iudex Ego donnus Angelus Grippi archipresbiter
ecclesie Sante Trinitatis testis sum // (c. 277v) †
Ego donnus Nicolaus Angelus de Mathia de Potentia
canonicus Potentinus testis interfui † Ego donnus
Nicolaus Destabili de Laino testis sum † Ego magister
Antonellus Laeya de Calabria chirurgico testis sum † Ego
diaconus Laurentius de Pugla testis sum † Signum crucis
proprie manus Nicolai Pallottini testis idioti et scribere
nescientis † Signum crucis proprie manus Catellini de
Anemona testis idioti et scribere nescientis † Signum
crucis proprie manus Stephani de Russulillo testis idioti
et scribere nescientis

Così S per supradictis Antonello et Petro

Così S per? cum

Così S per ubicumque

Così S per fidei

Così S per obsequia sua

Così S per iuris